

pertinentiis supradictorum locorum, placito videlicet et districtu et cum omni iurisdictione cum Pado, ripis, piscariis, paludibus, foratis, viis, pascuis, silvis et publicariis universis a principio comitatus Argente usque Ravennam, sicut ipse Guillelmus Ravenas archiepiscopus vel eius antecessores iuste actenus habuerunt et possederunt, non obstante privilegio vel scripto Ferrariensium contra ius Ravennatis ecclesie ab imperiali maiestate impetrato. Hec itaque omnia supradicta in specialem deffensionis nostre protectionem recipimus et imperiali auctoritate districte precipientes sancimus, ut nullus episcopus, marchio, dux, comes, vicecomes, nulla civitas, potestas, nulla denique humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica persona contra hanc confirmationem nostram et protectionem supradictum fidelem principem nostrum vel ecclesiam Ravennatem in aliquo supradictorum aliquatenus gravare audeat vel molestare. Quod si quis facere presumpserit XXX libras auri puri pro pena componat, medietatem camare nostre et reliquum passo iniuriam. Ad cuius rei certam in perpetuum evidentiam presentem paginam inde conscribi iussimus et maiestatis nostre sigillo communiri.

Datum Wormatie IIII. kalendas Decembris, indictione XIII, anno Domini MCXCV, feliciter amen.

Aus einer Copie saec. XIII im erzbischöflichen Archiv zu Ravenna.

1) Auch die Lesung Libola ist möglich, die Schrift hier sehr undeutlich. Das Datum ist in Widerspruch mit St. 4976. 4977. — St. 4982. Ein Extract gedruckt bei De Rubeis, Hist. Ravenn. in Graevius, Thesaur. Ital. VII^a, 347.

14.

Heinrich VI. trifft zu Gunsten des Klosters S. Sixtus zu Piacenza Verfügungen über einen Hof im Modenesischen, den das Kloster vom Reich zu Lehn hat. 1197, Mai 20, vor Castro Giovanni.

Henricus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie. Notum facimus universis imperii nostri et regni Sicilie fidelibus presentibus et futuris, quod nos ad instanciam et devocionem fidelis nostri Gandulfi abbatis Sancti Systi de Placentia damus et concedimus ei et monasterio suo ob salutem anime nostre braydam de Roarolo, quantum sufficit ad tria paria boum singulis annis, que sita est in curte Campomilicio in episcopatu Mutinensium, quam curtem ipsum monasterium tenet ab imperio. Insuper districte precipimus, ut decima eiusdem curtis plene persolvatur capelle Sancti Petri in eadem curte constructe, que capella ad ipsum monasterium cognoscitur pertinere, concedentes, ut si eadem decima predictae capelle non persolvetur, liceat abbati ipsam repetere non obstante aliqua temporis prescripcione. Ad cuius rei noticiam presentem cartam inde conscribi iussimus et mayestatis nostre sigillo communiri¹⁾.